



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Annales Episcoporum Slesvicensium

Cypræus, Johann Adolph

Coloniæ Agrippinæ, 1634

Capvt III. Ericvs I. ... Ericvs II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64615)

C A P V T III.

ERICVS I. cum seditiosis in Patriam irruens, & Regnum occupans, cum regnasset 36. annos, à Guttormo trucidatur. Fuit Rex Daniae 58. Templum Slesvurgæ adificare cepit. A. C. 847.

ERICVS II. Puer, Rex Daniae 59. A. C. 856. post Con- sanguineorum iacturam, initio Imperij Christianos Regno expulit; verum ab Anschario conuersus, templa Slesuicense & Ripense exadificauit & fundauit, A. C. 850. (alijs 847.) & tam clementem se præstitit in excolenda Religione, quam se crudelem exhibuerat in aspernanda. Hamburgensis Ecclesia Bremensi coniuncta est, Anno Dom. 858.

SIVARDO ad sinum Sliæ propè Selcam pagum interempto, Regnum Daniae Erico, Filio Siuardi, Nepoti Regneri delatum, Ericus Haraldis Regis Frater, omnium suffragijs occupauit nemine resistente, eò, quòd Ericus adhuc puer esset. Quod tamen exiguo tempore obtinuit. Nam à Guttormo Fratris Filio, cæsus Ericus Senior, & regno spoliatus fuit. Quo extincto, Ericus, Filius Siuardi, in Regnum, quo priuatus erat, restitutus est, & Guttormi, hoc est eius, qui Ericum Seniore interemit, filiam, in vxorem duxit. Tantâ cæde vtrique mactati sunt, vt vulgus omne caderet. De stirpe autem Regiâ nemo omnium remaneret, præter iam dictum Ericum iuniorem. Ab Erico etiam templum Slesuicense, primum omnium in Septentrionalibus hisce oris erectum esse, omnes vno ore testantur. Sed cum duo fuerint Erici Reges vnus nominis, qui eâ tempestate regnarent, nimirum Ericus Frater Haraldis Klagi senior, qui sceptrum Erico iuniori

niori delatum, in se transtulit; & Ericus filius Siuardi. qui Erico interempto successit, & puer dictus fuit, dubitatur, vter eorum Templum Slesuicense & Ripense erigendum curauerit. Helmoldus *libr. 1. cap. 5.* Vnum & eundem Regem id mandasse scribit: sed tamen nomine suppresso. Est autem extra Controuersiam eum Ericum appellatum fuisse. Vnde efficitur, Helmoldum de Erico puero loqui, quem constat Ecclesiam Ripensem fundasse. Deinde antiquæ Schedulæ, quæ apud me exstant, disertis verbis testantur, Ecclesiam Slesuicensem omnium Aquilonarium Ecclesiarum antiquissimam, anno Domini 850. Imperante Ludouico II. ac regnante in Dania Erico Sifridi filio, sub Anschario fundatam esse. Quamuis ex aliâ æra, id anno 847. factum esse consentiant omnes. Idem etiam memoriæ quoque prodidit Crantzius, nimirum à Sifridi filio Erico, primum templum in regionibus hisce aquilonariis erectum esse. Huc accedit, quòd Helmoldus expressè notat, Regem gentilem facultatem fecisse Anschario, Ecclesias erigendi Slesuici & Ripis. Ericus autem senior, Frater Harald, Christianus fuit, Moguntia vnà cum Harald baptizatus, vt M. Adamus cap. 15. Abbas Stadenensis, & alij recentiores hos sequuti, nullo reclamante, testantur. Vnde adhuc dicendum videtur, Ericum puerum, Ecclesias istas erigendas curauisse. Quod & Saxo non obscurè innuere videtur, qui Anscharium primum in Daniam, Erico puero regnante, venisse scribit, eumque conuertisse, *lib. 9.* Itaque res scrupulo non caret. Sed tamen si quid M. Adamo, & Alberto Abbati Stadenensi tribuendum est, verisimile est, Ecclesiam Slesuicensem ab Erico Seniore, Ripensem ab Erico Iuniore vel puero fundatam esse. Idque expressè tradidit Adamus, vt videre licet cap. 25. & 28. *lib. 1.* Et credibile est, Ericum Seniore qui Moguntia

baptizatus erat, in Patriam reducem factum, animum ad Religionem & Ecclesias erigendas adiecisse, & eadem, quam in territorio Slesuicensi Frater eius Haraldus animo exædificatam habebat, exstruendam curasse. Sed hic rursus nobis occurritur, quod idem Adamus scribit: Ericum Seniore ab Anshario sacris Christianorum fuisse imbutum, qui tamen omnium testimonio, Moguntia, Christianorum Sacris initiatus erat. Itaque neque rectè dici, neque defendi posse, eum (verbis vtor Adami,) ab Anshario Christianum redditum. Nisi hæc verba ita accipere velimus, eum quidem baptizatum Moguntia, sed ab Anshario, Christianæ Religionis præceptis postea informatum & imbutum fuisse. Sed in re dubia, aliis latius inquirendi locum relinquimus. In portu autem maritimo, templum iussu Erici erectum esse ad Urbem Slesuicum, scribit Adamus, Quod ego de templo Heidebuiensi accipiendum existimo. Nam id omnium antiquissimum esse, vulgò fertur, & ad lacum Sliam in portu maritimo, cuius adhuc vestigia reliqua sunt, ædificatum fuit. Eius fundamenta Haraldus Rex primus iecit, vt supra notauimus ex Saxone. Ericus autem senior Frater Haraldus, vbi regnum obtinuit, exædificati iussit. Quod & ipsum argumento est, Ericum Fratrem Haraldus, Ecclesiam primam Slesuici erexisse à Fratre inchoatam. In eo autem templo, Ansharium populum docuisse ac palam concionatum esse, sacraque peregrisse, & in lacu Sliâ baptizasse, memoriæ proditum est. Sed & Ericus potestatem dedit omnibus, qui vellent, Religionem Christianam amplectendi. Magna igitur gentilium multitudo Christo nomen dedit, & conuersa est. Inter quos multi aquâ baptismatis abluti, à corporis etiam morbo, quo detinebantur, liberati, vnde etiam posterioribus annis Templi Patronus vulgo no-

go nominatus ac habitus fuit Anſcharius. *Stadenſ.*

Erico Seniore è medio ſublato ſucceſſit Ericus Siuardi filius iuuenis & penè puer. Qua de cauſâ & puer cognominatus eſt. Is ardore iuuenili, ſingulari quodam odio Chriſtianos perſequi, res religioſas deprædari, & Chriſtum profeſſos exitio mulctare cepit, tum etiam Eccleſias claudi præcepit, (vt author eſt Albert. *Stadenſ.* f. 92.) Sed & Dani viribus & virtute, quâ reliquis præſtabant, freti, (Et quòd Rex puer eſſet) primùm Sclauos, deinde Freſones aggreſſi, in ſuam ditionem poteſtatemque redegerunt, & tributum pendere coegerunt. Claſſe inſtructa piraticam fecerunt, Rheno flumine delati Coloniam obſederunt, ad Albim regreſſi Hamburgum ſolo æquarunt & exciderunt. Tempſa, clauſtra, bibliotheca ſummo ſtudio collecta incendio perierunt. Quin & Nordalbingiorum prouinciam, hoc eſt, quicquid inter Albim & Eidoram agrorum erat, vaſtarunt, ac Saxonibus metum maximum incuſſerunt. S. Anſcharius cum reliquijs Martyrum vix nudus euafit. Alijque Sacerdotes, qui ſubeundo legationis, prædicationis, atque inſpectionis in Daniâ muneri deſtinati erant, diſſipati ac proſtigati, ſolum vertere coacti fuerunt, quòd Hamburgo exciſo eis amplius ibi commorandi facultas non daretur. Quo tempore Anſcharius Hamburgo ſeſe Ramsolam recipere, & fuga mortem vitare coactus fuit: multi quoque Religionis cauſa in Ebberſtorpio occubuerunt. Quod late Crantzius alijque perſecuti ſunt. Quamuis in notatione temporis, quo anno propriè hæc perſecutio contigerit, Authores non nihil variant. Horum itaque vicem miſeratus Ludouicus II. quòd ruinam & damna Eccleſiæ illata aliquo pacto ſarciret, Hamburgensem Eccleſiam Bremeniſi, quæ tunc Epifcopo vacabat, copulauit & coniunxit, vt vtraque in vnum cor-

pus coalesceret, nec deinceps duæ essent Ecclesiæ separatae & diuersæ, sed vna Metropolitana, & quidem Bremensis. Causas huius vnionis & consilij has adferunt. Quod cum vtraque Ecclesia in summo discrimine versaretur, altera alteri annexa & vnita, viribus coniunctis, facilius hostium vim sustinere, & propulsare impetum posset, quam si separatae manerent & disiunctæ. Deinde quod sacris Canonibus cautum esset, vt quoties Episcopus Diocesi suâ pelleretur, in vicinam vacantem, exul & profugus reciperetur. Quod tamen tantum abest, vt Ansharius vrferit, vt etiam Cæsari diu restiterit, veritus, ne inuidiâ ducti Christianorum animi offenderentur. Imò, eâ lege in hanc rem consensit, si ea mutatio sine iniuriâ & querelâ fratrum fieri posset. Postremò, satius esse putabatur, Ecclesiam Hamburgensem Bremensi annectere, propter imminentem hostem vicinum, Danum scilicet, & maris propinquitatem: & quod Brema in loco tutiori, vt in regione mediterraneâ, & Saxonix meditullio sita esset, neque tam facile oppugnari posset. Ita Ecclesia Hamburgensis, Bremensi annexa & conglutinata fuit, & cum eâ in vnum corpus coaluit, Bremamque translata fuit. De qua arctissima & suauissima vnione & connectione harum duarum Ecclesiarum, Adamus antiquus historicus, his verbis testatur libr. i. Chron. c. 27. *Interea questio magna surrexit, in Regno Francorum, de Bremensi Episcopatu ad inuidiam S. Ansharij conflata. Ea contentio, dire per Regnum, graui & ancipiti dissensione profligata, multis partium studiis, collidebatur. Tandem, Orthodoxus Cæsar Ludouicus, compositis hinc inde contradicentium voluntatibus, præcipuè Guntharij Coloniensis Archiepiscopi, cuius suffraganea prius erat Brema, super his Romam direxit, ad sanctissimum Nicolaum Papam. Ille, quod Ecclesiastica necessitas persuasit, & quod Patrum Conciliis fieri posse, comprobatum est,*

est, facile consensit. Ergo Bremensem & Hamburgensem Episcopatum, auctoritate Apostolica copulari, & deinceps sanxit pro vno haberi. Cuius rei priuilegia, diligenter asseruantur, in Bremensi Ecclesia: quibus etiam additum est, quod idem Papa Nicolaus, tam ipsum Ansharium, quam successores eius, Legatos & Vicarios Apostolicæ sedis constituit, in omnibus gentibus Danorum, Suenonum, & Slauorum. Quod & antea Gregorius Papa concessit. Igitur Bremensis & Hamburgensis Parochia adunatio, facta est vltimo tempore Ansharij. Vita annum non ponit, præceptum autem Regis ponit annum 21. Priuilegium Papæ notat: annum Domini DCCCLVIII. qui est ab ordinatione Archiepiscopi 39. Hæc illic; Extant quoque clarissimæ ac euidentissimæ literæ Apostolicæ, Nicolai Pontificis, apud Crantziū Sax. lib. I. c. 38. quæ huic rei fidem faciunt, quarum est Exordium. *Quisquis Dominum.* quæ inter cætera ita habent. *Annunte, ac solemnia sedis Apostolicæ priuilegia præbente, prædecessore nostro, Beatæ memoriæ, Papa Gregorio, cuius etiam auctoritate in supra dicto Nordalbingorum populo, sedes constituta est Archiepiscopalis, in Castello superius memorato Hamaburg, & in eadem quoque eade, Archiepiscopus, accepto à sede Apostolica pallio, primus est ordinatus Ansharius. Cui à præfato Pontifice, delegata est cura, seminandi Verbum Dei, & animas lucrandi. Cuius delegationis, & auctoritatis, & pallij acceptionis pagina, nobis est à præfato filio nostro, Ludouico Rege, per iam dictum Salomonem, sanctissimum Episcopum destinata, iuxta morem sanctæ Romanæ Ecclesiæ ebullata: per cuius pagina tenorem hæc ita fuisse comperimus. sicut pietas præfati Regis, per fidelem virum, Salomonem scilicet Episcopum intimauit. Vnde nos, vestigia tanti Pontificis & prædecessoris nostri, Gregorij sequentes, omnemq; ibi statutam prouidentiam Deo dignam agnoscentes: Magnorum Principum votum, Ludouici scilicet Diuine recordationis, & equiuoci eius filij, Excellentissimi Regis, tam huius Apostolicæ auctoritatis præcepto, quam*

etiam pallij donatione, more Prædecessorum nostrorum roborare decreuimus, quatenus tanta fundatus auctoritate, prænominatus Ansharius, primus Nordalbingorum Archiepiscopus, & post ipsum successores eius lucrandis plebibus insistentes, aduersus tentamenta Diaboli validiores existant, ipsumq; filium nostrum iam dictum Ansharium in omnibus circumquaque gentibus Suenonum siue Danorum, nec non etiam Slauorum, vel etiam vbicunq; illis in partibus constitutis diuina pietas ostium aperuerit, publicam euangelizare tribuimus auctoritatem, ipsamq; sedem Nordalbingorum Hamaburg dictam, in honorem sancti Saluatoris, atque intemeratae Genetricis semper Virginis Mariae consecratam, Archiepiscopalem esse decernimus, &c. In fine autem scriptum, Data pridie Kalend. Iunij per manus Tiberij primicerij Sanctæ sedis Apostolicae. Addit Cæsar Baronius Annal. Eccles. tom. 10. pag. 171. hanc admonitionem. Videant ergo & considerent modo Dani, Suenones & alij circumpositi populi, vnde acceperint Euangelium, nempe à sede Apostolica, per Gregorium atque Nicolaum sanctiss. Pontifices Anshario traditum, & quanta benedictione in animarum prouentum, & operatione virtutum, in ostensione signorum. Quod bene plantatum & colitur irrigatum (proh scelus) nouatores suffoderunt temporibus nostris. Quis Anshario sanctior vel sapientior, aut miraculorum editione sublimior suavit hoc vobis, vel à quo missus, & quibus est notis eius pseudoapostolatus expressus. Videant & confundantur zelantes populi. Post hanc arctissimam & firmissimam duarum harum Hamburgensis ac Bremensis Ecclesiarum vñionem ac coniunctionem, vtriusque administrationem & curam quoque suscepit Ansharius, postquam Ecclesiam Hamburgensem annos sedecim rexisset. Idq; vt diximus de consilio Imper. Ludouici secundi, Ludouici primi filij, patri & nomine & pietate similis, & Nicolai Pontificis auctoritate, & confirmatione. Introductus est autem ab Abderico Clerico
& Re-

& Regimboldo Legatis Cæsaris in Episcopatum Bre-
 mensem. Præterea Nicolaus Papa Anscharium &
 Successores eius, Legatos & Vicarios Apostolicæ se-
 dis constituit in Dania, Suetia, & Slauonia, quod et-
 iam antea Gregorius Papa decreuerat. Anscharius
 vero, postquam ei cura & inspectio Ecclesiarum A-
 quilonarium à Papa Nicolao & Cæsare commissa ac
 demandata erat, nihil his motus tumultibus, munus
 suum diligentissimè exsequutus est, docendo, sacris
 peragendis ac peregrinando. Quo in officio, vt
 Deū sibi experiretur magis propitium, interdium no-
 ctuque aspero sane cilicio corpus suum domabat, vt
 habet Breuiar. Slesuicense ante centum annos edi-
 tum. Ad Regem Daniæ Ericum iuniorem, à Cæsare
 Legatus missus, vt de rebus ad commodum Ecclesia-
 rum, & vtriusque regni spectantibus tractaret, effe-
 cit diuina comitante gratia, vt mirabili metamorpho-
 si ex hoste Christi crudelissimo Ericus factus sit reli-
 giosissimus, & Christianorum defensor maximus.
 Cuius rei argumentum est certissimum, ac euiden-
 tissimum, quod literis & diplomatibus publicis testa-
 tum fecerit, se Christianū esse, & quod omnibus Reli-
 gionem Christianam amplectendi facultatem con-
 cesserit, & ne quis baptismum suscipere volentes im-
 pediret, prohibuerit, suisque omnibus, vt Christiani
 fierent, per Ediētum mandarit. Ita paulatim Religio
 Christiana in his oris explosa & profligata, Erici be-
 nignitate restituta est; & Sacerdotes Ordinis D. Be-
 nedicti ex locis vicinis, qui populum docerent, ac-
 cersiti fuerunt. Sed & iussu Erici iunioris, octo post
 annis, in parte Iutiæ Australis fundata & exstructa
 fuit Ecclesia Ripensis, ad portum alium Regni, sub
 Episcopo Bremensi Remberto anno 860. vel circi-
 ter, quam secundam in Dania Ecclesiam nominat
 Adamus Bremensis, & Abbas Stadenfis. Quam Ec-
 clesiam

clesiam B. Anscharius Remberto Presbytero commendauit, ipso interea aliò proficiscente, & Ecclesias fidei suæ commissas, indefesso studio ac diligentia, visitante ac frequentante. vt Adamus commemorat sequentibus.

His Ecclesiastico ordine compositis, Beatus Pater noster, Ecclesiam illam (Ripensem scilicet) Remberto commendauit presbytero, & reuersus est ad Hamaburg, vbi de venditione Christianorum Nordalbingos correxit: inde Fresos adiens, castigauit eos pro labore Dominici diei: pertinacius vero agentes, igne cœlesti multauit: & alia quæ antiquis miraculis non imparia leguntur in vita eius. Et quoniam totum studium eius erat, pro salute animarum, si quando à prædicatione Gentilium foris liber erat, domi congregationum suarum curam egit: quarum primam, quò ab Hamaburg olim barbarica incurfione depulsa est, ipse (vt prædiximus) ad Ramsolas transtulit: Secundam in Bremis habuit sanctorum Virorum, qui habitu quidem vsi Canonico, regula viuebant monastica, vsque ad nostri ferè temporis etatem. Tertiam sanctarum Virginum congregationem in Luximon adunauit: vbi deuota Christi matrona, totum patrimonium suum offerens cœlesti sponso, magnum Chorum castitatis suo Ducatu nutriuit. Ad curam autem pauperum, & susceptionem peregrinorum, multis locis hospitalia preparauit. Vnum autem, quod præcipuum habuit Bræmæ, vbi per seipsum quotidie veniens, infirmis non erubuit ministrare, quorum plurimos dicitur verbo vel tactu sanasse. Ipse transtulit corpus S. Vvilhadi in matricem Ecclesiam B. Petri Apostoli, ab illo australi Oratorio, quo deportatum est à Vvillerico. Et hinc facta sunt miracula, quæ per merita S. Vvillehadi populo ostensa sunt, ab anno Domini octingentesimo sexagesimo primo, qui est ab ordinatione Episcopi trigesimus. Ipse enim qui transtulit vitam & miracula eius singulis libris comprehendit, &c. Hæc Adamus: Presbyter quidam Bremensis Diœcesis historiam Helmoldi continuans (quæ breui
à me

è me in lucem quoque prodibit. (hactenus quod ego quidem sciam non impressa) de Anschario quoque inter alia memorat. S. Anscharius, Bremensem Ecclesiam & Hamburgensem simul rexit, & prope Idzehoe, in terra Holsatia in Vvelna, paruum oratorium, in honorem sancti Sixti, cuius caput semper secum deferebat, consecrauit. Vbi cum aliquibus Monachis aliquando propter serenitatem loci ad contemplandum solebat residere. Et legitur in legenda eius, quod cum communiter in pane & aqua solebat carnem subigere, ibidem vna dierum aqua fuerit in vinum conuersa. Et fons vbi illa aqua extracta fuit, hodierno die dicitur fons sanctus.

Tandem verò, Magnus ille Danorum & Suenonum Apostolus, S. Anscharius vitæ huius munere perfunctus, pie ac placide in suo saluatore obdormiuit, vt itidem Adamus, tam vitæ eius curriculum, quàm beatum hinc discessum, breuiter & succincte complexus est. libr. I. c. 31. Interea B. Anscharius, captiuos redimendo, tribulatos refouendo, erudiendo Domesticos, barbaris euangelizando, foris Apostolus, intus Monachus, nunquam legitur ociosus, nec solum erga suos, verum etiam alienos, quomodo viuerent, sollicitus, Episcopos etiam tam voce, quam literis, vt vigilarent super Dominicum gregem, hos arguit, illos obsecrauit: at vero Regibus Romanorum pro sua legatione, Regibus Danorum pro Christiana fide, crebro mandauit. Extant Epistole eius plures huiusmodi: vnã vero quam scribit omnibus Episcopis de legatione sua, quam ab Ebbone orsam asserit, ita claudit. Deprecor inquit, vt apud Deum intercedatis, quatenus hæc legatio, crescere & fructificare mereatur in Domino: iam enim Deo propitio, & apud Danos & apud Suenones, fundata est Ecclesia Christi, & sacerdotes absque prohibitione, proprio funguntur officio. Omnipotens Deus, faciat vos omnes huius operis pia beneuolentia participes, & in cœlesti gloria coheredes. Superuixit autem, post illam plenariam Hamburg & Bremæ copulationem, annos septem. Se-
dit

dit annos omnes triginta quatuor. Cuius depositio summa
veneratione colitur tertio Nonas Februarij. Obijt anno Do-
mini octingentesimo sexagesimo quinto, indictione decima
tertia, qui est Ludouici II. xxvi. sepultus est in Basilica S. Pe-
tri ante altare sancta Genitricis Maria.

C A P V T I V.

CANVTVS I. Rex Dania 60. cuius administratores Ger-
maniam Normaniam vsque, qua inde nomen traxit, inua-
serunt, qui tamen ab Arnolpho Imp. repulsi sunt: interim
Hamburgum depopulantur. Hic verò hoc vno deslendus, quòd
absque religione Christiana obijt. A. C. 873. qui alias ex
desperato adolescente autor euaserat insperate probitatis.

REMBERTVS Episcopus.

Christicolas veniens Slesuicum, carcere clausos

Fædo, REMBERTVS liberat ære sacer.

Hortaturq; crucem reliquos vt tollere discant,

Discipulos Christi nam mala ferre decet.

A. C. 865.

REMBERTVS itaq; S. Anscharij successor,
in Monasterio Gallia Thuronensi quod
ex liberalitate Cæsaris adeptus erat An-
scharius à teneris educatus, vixit in con-
tubernio fratrum, ibidemq; singulari pietate, erudi-
tione, vitæ sanctimonia morumq; grauitate ac mo-
destia tantopere eminuit, vt pro singulari amore quo
eum amplecteretur, eximiaq; spe ac opinione quam
de eo conceperat, eum sibi filium adoptaret Anscha-
rius, filijq; loco haberet ac amaret. Thuronensem
scholam aliquot annos summa cum laude, nec mino-
ri fructu ac vtilitate auditorum rexit ac gubernauit,
ab Anschario commissus, vt qui eum à teneris educa-
set